

3261.

1336 d. 29 Oct.

Wegeby.

Riddaren CARL NÄSKONUNGSSON säljer sina gods i Brytiamarka till Biskop Carl i Linköping för 400 mark penningar, samt qvitterar köpsumman.

Registr. Eccl. Lincop. perg. fol. 105, v.

Omnibus presentes litteras visuris uel audituris KAROLUS NÆSKUNUNGSSON salutem in domino sempiternam Tenore presencium constare uolo euidenter me venerabili patri domino karolo dei gracia episcopo lincopensi omnia et singula predia mea in brityamarka sita cum domibus agris pratis pascuis siluis molendinis molendinorum locis coloniis aliisque suis pertinenciis vbiicumque sitis qualiterue nominatis infra sepes et extra Jnsuper cum omnibus et singulis mobilibus mihi in eisdem prediis attinentibus eciam quibuscumque dinoscantur censuri nominibus pro quadringentis marcis denariorum vendidisse quas eciam tenore presencium recognosco me integraliter leuasse, et sine diminutione qualibet ab ipso domino episcopo recepisse Jn dictum igitur dominum episcopum et heredes suos per presentes transfero plenum possessionis ius et proprietatis dominium predicta predia cum omnibus suis ut dictum est pertinenciis occupandi uendendi distrahendi locandi in toto uel in parte alienandi seu alio quocumque modo pro sue voluntatis libito ordinandi, ablatis mihi meisque heredibus omni facultate et legum patrie consuetarum vel non consuetarum seu aliarum adiuencionum qualiumcunque adiutorio dicta predia reuocandi seu quomodolibet impetendi Verum si dictum dominum episcopum heredes suos seu quemcumque alium cui jpse dominus episcopus sepedicta predia dimitenda duxerit super possessione prediorum eorundem per aliquem contigerit impeti seu aliqualiter infestari Extunc ad liberandum predia huiusmodi ab infestacione et impeticione cuiuscumque et ad appropriandum eadem ipsi domino episcopo heredibus suis seu alii uel aliis quibus ipsa dimitenda decreuerit fide media me obligo per presentes Jn cuius euidenciam sigilla nobilium militum dominorum haquini mattesson. anundi stura generi mei et karoli benedictsson vna cum sigillo meo proprio duxi cum instancia presentibus apponenda datum in curia weghiby anno domini M^o CCC^o tricesimo VI^o. feria tercia proxima ante festum omnium sanctorum.

3262.

1336 d. 30 Oct.

Wifvelstad.

ERIK UNNESON gifver sin hustru Elena Larsdotter 2 gårdar i Simmaryd och 3 gårdar i Wä i morgongåfva, med bestämmande af arfsrätten till samma gårdar.

Orig. på perg. i K. Riks-Arch.

Omnibus presens scriptum cernentibus. ERICUS WNNASSON salutem in domino sempiternam,, Quoniam que in tempore fuent ne in posterum adnichilari possint,